

to, & respectu tam dictorum scut. 3. mil. quam aliorum scutorum mille auri, quæ Fabronius avunculus de proprio constituit, & in quibus terminis dictus textus loqui posset alia ratione evitatur, quæ est quod dictus textus supponit veram, & non simulatam promissionem præcessisse*, hic autem nulla adfuit vera promissio*, sed tantum simulatio, qua stante deficit consensus, & consequenter potestas agentium, ut advertit Paris. dicto conf. 54. n. 41. cum seqq. lib. 1. & conf. 86. n. 49. lib. 3. Gabr. conf. 142. sub n. 6. vers. verum hoc casu lib. 2. Rota coram Burat. decis. 925. n. 9. vers. Non obstat.

Quod etiam colligitur ex eo, quia ibi præcedit promissio dotis, & ex intervallo* sequitur acceptilatio, ut patet ex illis verbis, deinde acceptam eam fecit l. 3. & ibi glos. lit. P. ff. de solut. Covarr. var. resolut. cap. 14. n. 1. lib. 1. Quo casu regulariter confessio de recepto, vel acceptilatio attenditur, neque exinde arguitur simulatio. At verò id non applicatur confessioni Francisci factæ, ut præfertur, uno eodemque tempore cum promissione dotis, tunc enim promissio, & confessio reputatur pro unico actu confessionis inefficacis juxta superius allegata.

Minus præsentanti casui applicatur conclusio firmata per Bald. in l. 2. §. final. n. 5. ff. si certum petat. & per Cyriac. contr. 132. nu. 17. cum seqq. † quod scilicet in præjudicium procuratoris, & ut ipse teneatur domino reddere rationem, perinde ac si exegerit, semper ejus confessio præsumatur vera, quia non versatur in confessione procuratoris, sed principalis & in materia prohibita quæ à legibus tam communibus quam municipalibus irritatur juribus supra allegatis.

Frustra autem prætenditur, quod admissio ut dicta confessio dotis receptæ emanaverit in fraudem prohibitæ donationis nihilominus potuerit illa deinde confirmari morte Francisci, quia tantum abest ut Franciscus in eadem voluntate perseveraverit usque ad ejus obitum ut immo constet de illius revocatione non solum tacita † per superveniendam inimicitarum Rota coram Burat. dec. 311. n. 3. in fine in recent. dec. 355. n. 4. par. 6. sed etiam expressa per litem prævio monitorio ad ejus instantiam introductam super nullitate matrimonii, & cassatione dicti Instrumenti dotalis, nec non † ex duplicatis procuræ mandatis ab eodem factis, pro impetranda absolutione, & declaratione nullitatis matrimonii, & confessionis, Speculat. in Rubric. de donat. sub nu. 3. vers. Item ponit, Barbat. conf. 6. col. 9. num. 10. lib. 2.

Et ita utraque parte informante resolutum fuit.

DECISIO CVXX.

R. P. D. ALBERGATO.

Bononien. Alimentorum.

Lunæ 23 Januarii 1658.

SUMMARIUM.

- 1 Alimenta non præstantur non consilio de paupertate, & bono jure.
- 2 Paupertas in filio familias præsumitur: fallit ut num. 3. 4. 5. & 6. de tempore præciso est probanda num. 7.

Sumptus litis Marchioni Claudio colliganti non esse subministrandos à Marchione Joanne Maria ejus Patre fuit per Dominos hodie resolutum, quia ejus paupertas non fuit sufficienter justificata † prout ad hunc effectum copulativè cum bono jure requiritur Covar. pra. q. c. 9. sub n. 5. &

seq. Rot. coram san. me. Greg. dec. 189. & dec. 543. utrobique n. 1. Anconitana alimentorum 4 Junii 1646. in prin. & in Rom. Bonorum seu usufruc. 19 Januarii 1652. coram R. P. D. meo Zarate §. deficiunt siquidem. Nec præsumptiva probatio paupertatis ex eo deducta † quod Marchio Claudius sit filius familias, de qua per Add. ad Burat. dec. 707. sub n. 10. hoc casu suffragari posse visa est. Nam omisso, quod filius habet bona hæreditaria Comitum Furni ejus foci sibi in dotem constituta, quæ † ad excludendam paupertatem ad hunc effectum sufficere possunt, ut in puncto supervenientis hæreditatis Rota in Romana alimentorum 12 Junii 1651. coram Reverendis. Taracenen. §. paupertas, pariter sublata fuit difficultas quia habet ulterius libras 400. mensuras titulo alimentorum † ab Eminentiss. D. Cardinali Legato taxatas, & pro illis, tuto recipiendis pinguem assignationem in tot bonis stabilibus, quo casu necessario probandum esset, quod hujusmodi quantitas pro congruis alimentis, & sumptibus litis non sufficiat, quodque sine nova sumptuum præstatione litem sustentare non posset, juxta text. in l. fin. C. de ordin. cognit. Bald. in aut. propterea. n. 4. vers. quæro ergo C. unde vir. & uxor. Ruin. conf. 81. sub n. 6. in princip. vers. Et propterea in casu nostro lib. 5. Rota coram Seraphin. decis. 426. n. 2. dec. 676. n. 1. part. 1. divers. & in alia relata per Adden. ad san. me. Greg. dicta dec. 189. sub n. 7. vers. paupertas debet probari, & coram Eminentiss. D. Card. Ottobon. decis. 152. num. 3.

Et licet assignatio prædicta librarum 400. facta fuerit pro alimentis non propterea ad effectum obtinendi sumptus litis expensæ, detractis ex prædicta quantitate alimentis, solvi nullo modo possint, ut in terminis de eo, cui pro alimentis assignata fuerunt * scuta decem mensura, quod nihilominus paupertatem ad effectum consequendi sumptus litis probare teneatur post. dec. 48. part. 2. divers. firmatum fuit in dec. 170. n. 2. part. 4. recent.

Quam rationem tanto facilius amplexi sunt DD. in præsentanti casu, quia parte Marchionis Joannis Mariæ datur fumus, quod stabilia pro libris 400. mensuris filio assignata in redditibus, præfatam quantitatem superent* nec dubitare videtur ipsa decisio ad favorem Marchionis Claudii edita coram R. P. D. meo Melio sub die 10 Maii 1656. Et propterea eo magis de tempore præsentanti hæc qualitas est justificanda, quia de præterito pauper hodie talis non præsumitur, quando ad aliquem determinatum finem allegatur paupertas †, cum punctualiter, & de tempore præciso sit probanda argumento text. in l. Spadonem 17. §. qui absolutus ff. de excusat. Tutor. Bartol. in l. ex diverso 18. §. ultimo sub n. 9. ff. solut. matrim. Menoch. præsumpt. 25. n. 9. & 11. lib. 6. Capyc. Galeot. lib. 1. contr. 32. n. 35. Annot. ad dec. 117. n. 110. part. 4. tom. 3. Rot. dicta dec. 170. n. 3. part. 4. recent. Toletana matrimonii prima Februarii 1649. sub §. quia nulla, & §. prædicta vero coram Eminentiss. D. Cardinali Corrado, & in Romana Vineæ 28 Martii 1650. coram Reverendis. D. meo Decano in principio.

Et ita utraque.

DECISIO CXXVI.

R. P. D. MELIO.

Romana Transactionis.

Lunæ prima Aprilis 1658.

SUMMARIUM.

- 1 Læso in tertia parte sufficit ex statuto Urbis ad rescissionem transactionis.

2 Absolutio

2 Absolutione à Juramento obtenta contractus juratus impugnari potest.

3 Transactio inita super futuro litis eventu sustinetur, super re clara non valet nu. 6. ex falsa causa non sustinetur, num. 7.

4 Confessio absente parte facta de æquitate canonica probat.

Approbata per partem magis probat. n. 5.

8 Transactionis ad validitatem requiritur ut hinc inde aliquid detur & num. 9.

10 Cessionarius de Juribus cedentis experiri potest.

Fulvia Pacifica, & Angela Coccannaria filia Catharinæ Pacificæ hæredes fideicommissariæ quondam Tiburtii Pacifici in solum dederunt pro præsentis litium expensis, & aliis creditis de an. 1632. Canonico Lucillo Petruccio pro scutis 5000. domum in Platea Agonis quam postea idem Lucillus vendidit pro eodemmet pretio quondam R. P. Joan. Bapt. Honorat. verum cum deinde pro parte dictæ Angelæ ac Joan. Bapt. de Lutiis filii ipsius Fulviæ, fuerit motum Judicium contra dictum R. P. D. Honoratum emptorem dictæ Domus in vim l. fin. C. de edict. Divi Adrian. tollen. super immisione in possessionem assertæ Domus uti suppositæ fideicommissio dicti Tiburtii curavit emptor per transactionem reportare à præfatis hæredibus fideicommissi ratificationem præteritæ venditionis unâ cum cessione omnium Jurium eis competentium super eadem domo ex causa præfati fideicommissi cum recompensa solummodo scutorum 2000. quorum 400. dicuntur fuisse soluta in contanti, reliqua verò 1600. fuerint deposita in sacro Monte Pietatis Urbis ad effectum illa reinvestiendi ad contentamentum ipsius emptoris pro evitione dictæ Domus, qui emptor postmodum valde dubitans de validitate inita transactionis, quam ex capite enormissimæ læsionis prætendebat transigentes fideicommissarii rescindere, commissiorem causæ super jactationibus, & molestationibus mihi dirigi obtinuit, unde cum dubitatum fuerit, An dicta transactio sustineretur; proposito sub hac die hujusmodi dubio per Dominos fuit negativè responsum.

Fundamentum resolutionis, ommissis nullitatibus, quas pati etiam videbatur talis transactio, fuit enormissima læsio, quæ ex eo resultare satis clarè visa fuit; quia cum Domus controversa spectaret ad præfatos Angelam, & Jo. Bapt. fideicommissarios quondam Tiburtii Pacifici non obstante præcedente datione in solum facta ad favorem Canonici Lucilli Petrucci pro scutis 5000. occasione præsentiarum expensarum, ac aliarum partitarum, quas tamen insufficientes, ac prorsus nullius roboris esse ad effectum sustinendi alienationem ipsius domus firmavit Rota sub die 32 Junii 1653. coram R. P. D. meo Albergato, utique cæssio jurium repostata super dicta domo per eundem R. P. D. Honoratum successorem singularem ejusdem Lucilli Petrucci solutis tantummodo scutis 2000. juxta formam supradictam, manifeste reddit transactionem læsivam, nedum, in tertia parte*, quæ sufficeret juxta dispositionem statuti Urbis lib. 1. c. 154. verum etiam ultra dimidiam justi ac certi pretii. Ideoque illa in totum corrui, ut notat Corn. conf. 166. n. 6. lib. 1. Dec. conf. 179. nu. 11. lib. 2. Grat. conf. 88. num. 3. lib. 1. Menoch. conf. 401. num. 159. lib. 5. Mantie. de tacit. & ambig. lib. 26. tit. 9. num. 29. Rota, coram Puteo dec. 223. in fin. lib. 1. dec. 102. p. 1. div. dec. 20. nu. 14. p. 4.

recent. 1. 2. coram Emin. D. Cardin. Ottobon. dec. 25. num. 4. & 5. & fuit resolutum in Bononien. nullitatis concordia, 12 Junii 1645. & 13 Junii 1646. coram R. D. meo Decano, confirmata 27 Jan. 1648. coram bon. mem. Bichio sub §. His positis, & in Romana rescissionis transactionis 29 Maii 1648. coram Eminentissimo D. Cardin. Corr. sub §. quia constat de læsione.

Neque relevat, quod hujusmodi transactio facta fuerit mediante juramento, quia cum Jo. Bapt. obtinuerit † absolutionem à dicto juramento ad effectum agendi, utique satis inde habitatus fuit ad comparandum in judicio absque metu perjurii Bald. in l. ex Scriptura n. 2. ff. de cond. & demonstr. Caltr. conf. 259. col. 3. post med. vers. Sed remanet dubia lib. 2. Cravet. conf. 7. n. 7. Cov. var. res. lib. 1. c. 4. num. 6.

Urgere neque visum fuit, quod instrumento dicto transactionis dicantur fuisse soluta prædicta scuta 400. in contanti, & ulterius promissa etiam dictis Angelæ & Joa. Bapt. litis expensæ pro recuperatione horrei existentis in foro Boario subiecti eidem fideicommissio Tiburtii, & propterea hujusmodi transactionem tanquam factam super futuro litis eventu † sustineri debere ad tradita per Bero. conf. 126. cum pluribus seqq. lib. 1. Rot. decis. 98. num. 2. in fin. part. 4. recent.

Quia ultra quod respectu scutorum 400. asserta numeratio, quæ de illis facta prætenditur in instrumento transactionis prorsus evanescit ex confessione ab ipsomet R. P. D. Honorato transigente in articulo mortis emissa, qui pro veritate declaravit hujusmodi quantitatem non numerasse, sed penes se retinuisse, ut attestatur illius Confessarius, etiam deponit alter testis Summ. Joan. Baptist. n. 5. qui plenam merentur fidem † ex æquitate canonica juxta textum in cap. Si cautio ubi Felin. num. 7. de fid. Instrument. Rota coram san. Mem. Gregor. XV. decis. 408. num. 2. & fuit resolutum in Romana Pecuniaria, 9 Junii 1656. coram R. P. D. meo Verospio, Præsertim cum dicta attestatio inserta fuerit per hæredes dicti R. P. D. Honorati in alio instrumento celebrato de Anno proximè præterito cum præfata Angela Cöchanava in summario ejusdem Joan. Baptistæ num. 6. & sic censetur ab eis approbata l. Filius familias ff. ad sen. Conf. Maced. Rota coram Cardinali Cavalerio decis. 26. num. 4. & in recent. decis. 185. num. 5. part. 6. Adhuc ista modica summa etiam si revera fuisset numerata, & expensæ faciendæ in recuperatione dicti Horrei, quæ non potuissent esse nisi modicæ attenda Modica causa, difficultates sufficere non possent pro salvando hujusmodi contractu ab enormissima læsione.

Dubitare neque posse censuerunt Domini de aliquo futuro litis eventu respectu dictorum Hæredum fideicommissariorum quoad præfatum Horreum existens in foro boario, tum quia ex testamento fideicommissantis literaliter apparet vocatio transigentium, quæ deinde fuit etiam approbata per Rotam coram bo. me. Coccino de an. 1632. sub die 5 Julii quæ est dec. 152. inter impress. p. 6. rec. & in dubium nunquam fuit revocata tum etiam quia ex instrumento dationis in solum factæ de dicta domo ad favorem Lucillæ Petrucci oculariter pariter constat de insuffidentia ejus creditorum, ut fuit confirmatum in dec. in hac causa emanata sub die 23 Junii 1653. coram R. P. D. meo Albergato, ex cujus fundamentis fuit expedita causa mediante sententiæ promulgatione, quæ transitum fecit in judicatum. Unde cum talis transactio appa-

t 4

reat

- 6 reat facta solummodo super jure certo * & claro nullam in se habente difficultatem, ut nullo pacto sustineri possit declarat Manent. *conf. 136. n. 43. vers. cum igitur, & consil. 137. n. 23.* cum pluribus aliis relatis in allegata Bononien. nullitatis concordie 12 Junii 1645. coram Reverendissimo D. meo Decano sub S. At hic; transactio enim ex falsa causa facta cum præsumatur inita dolo malo, ut omnino veniat rescindenda tradit Cravett. *conf. 538. n. 17. Cuman. conf. 136. n. 4. & 5. Rota coram Penia decif. 60. num. 12.*

- 7 Accedit ulterius, quod in eadem transactione inter partes transigentes conventum fuisse demonstratur, ut casu quo Joann. Baptista in causa victoriam reportasset, ex pretio controversæ Domus jam valutatæ in scut. 5000. duo millia tantum recuperaret, quatenus verò succubuisset in lite nihil prorsus lucraretur, ex quo resultat manifesta ac evidens hujus transactionis insubstantialitas, cum ad illius validitatem + requiratur ut hinc inde à transigentibus aliquid detur, & recipiatur ad text. in l. transactio nullo dato C. de transact. l. sius 3. C. de repud. hered. & dixit Rota decif. 230. n. 2. p. 4. recent. coram Merlin. dec. 163. n. 6. & coram Eminentissimo D. Cardinali Othobono decif. 25. n. 7.

- 8 Ex quibus cum DD. Angela, ac Joan. Baptista de Lutis fideicommissarii nullum reportaverint commodum per dictam transactionem. Imò damnus evidens, ac certum, quia in casu victoriæ causæ solum scuta 2000. habere debebant ex 5000. quibus jam vendita fuerat dicta domus; in casu autem succumbentiæ nihil prorsus eis dabatur, hinc satis constat de læsione enormissima in hac transactione +, de qua non dubitatur, quotiescunque aliquibus ex transigentibus nullum affertur commodum, sed potius damnus certum, ut in hoc casu Rota decif. 22. num. 41.

- 9 Obstat neque visæ fuerunt sententiæ, Aud. C. latæ, ad favorem creditorum Lucilli: cum enim nondum latæ fuissent de tempore transactionis non potuerant illi dare causam, nec aptæ sunt illam sustinere, ex quo nunquam excluditur enormissima læsio nimium patens ex supradictis.

- Et ulterius hujusmodi sententiæ non fuerunt latæ adversus fideicommissarios Tiburtii Pacifici, sed contra dictum R. P. D. Honoratum Domus emptorem qui causam habebat ab eodem Lucillo, & propterea cum ipse de eo tempore nullam reportasset Jurium cessionem ab ipsis fideicommissariis poterat dictam creditoribus impedire satisfactioem pro debitis domui Lucilli venditoris: cessionis enim tantum vigore quisquis potest agere ad bona & contra personas, ad quæ, & contra quas potuisset agere ipsemet cedens ad tradita per Ruin. *conf. 209. n. 20.* cum aliis relatis per Rotam decif. 456. num. 2. in fine par. 2. recent.

- Et ita utraque parte informante resolutum fuit &c.

DECISIO CXXVII.

R. P. D. BEVILAQUA.

Vercellen. seu Casalén. bonorum.

Veneris 10 Maii 1658.

SUMMARIUM.

- 1 Dominium concludenter probare debet agens ad caducitatem & n. 12. Ex investitura cum aliis

adminiculis probatur nu. 9. declarata ut nu. 10. Ex quibus mutatum non censetur, n. 11. utile transfertur in emphyteutam num. 17.

2 Dictiones, catenus, quatenus, important conditionem qua non justificata Jus non competit, num. 3.

4 Assertiones ad favorem assertionis, non probant. Non probant dominium ad effectum devolutionis num. 5.

6 Papa Ecclesie non censetur præjudicare.

7 Dominio ex præterito ad hodiernum non infertur.

8 Enunciatio, tametsi antiquæ, ad favorem emunciationum non probant.

13 Contractus censuialis, potiusquam emphyteuticus reputatur & num. 16. talis præsumitur, quem verba demonstrant num. 19.

14 Censu in dubio fructibus correspondet. In compensatione fructuum solvitur num. 15.

18 Dominus concedens rem in emphyteusim retinet directum.

20 Observantia probat contractum censualem.

21 Concessio ex quibus censuaria censetur, & ex quibus emphyteutica num. 22.

23 Probationes validiores debilibus præferuntur.

24 Censuarius non solvens censum non cadit, neque alienando sine assensu Domini num. 26.

25 Caducitas non solutionum habet locum solum in emphyteusi.

27 Caducitatem quolibet causa excusat.

28 Oblatio solvendi habet vim solutionis ad effectum evitandæ caducitatis.

Sixtus fel. rec. Papa Quartus ad dirimendam litem ortam inter Cardinalem S. Eustachii præterentem Villas Saletæ, & Planchetæ, & nonnulla bona circumcirca, & propè illas posita esse membra Monasterii S. Andreae Vercellen. seque ex concessione Apostolica, donec viveret, usumfructum habere, & Marchionem Montisferrati easdem uti proprias, & liberas possidentem; avocando causam in iudicio jam deductam motu proprio declaravit per hæc verba Villas Saletæ, & Planchetæ, & circumcirca illis consistentia Prædia, Prata, Pascua, Nemora, &c. in posterum teneri, & possideri debere per prædictum Marchionem, ejusque filios utriusque sexus hæredes, & successores quoscunque perpetuis futuris temporibus prout hæcenus possessa fuerunt. Ipsosque Marchionem, hæredes, & Successores quoscunque non posse, nec debere super iis in posterum molestari à præfato Cardinali, Conventu, & Monasterio, Illaque omnia catenus, quatenus in totum, vel in aliqua parte ad Monasterium prædictum pertineant cum omnibus iuribus, & pertinentiis suis eidem Marchioni pro se, hæredibus, & successoribus suis prædictis in emphyteusim perpetuam pro annuo censu Florenorum centum auri de Camera Cardinali durante usufructu, & demum Monasterio prædicto annis singulis in festo S. Andreae persolvend. dicta auctoritate concedimus & assignamus. Diciturque Marchionem, filiosque hæredes, & successores ejusdem prædictos motu, & scientia similibus, quatenus expedit, vel opus sit, & pro majori voluntatis nostræ declaratione, & robore per præsentem perpetuis duraturas temporibus investimus, &c.

Anno 1643. Cum ob militum incurfionem Pontioni tunc dictarum Villarum Dni coacti fuissent à censu solutione cessare, & tandem illas Marchioni Mossio vendere; Contra eundem modernus Abbas, & Canonici instabant pro mandato de associando ad Villas prædictas, & Castrum Turrio

Turronis, uti devolutas ex capite alienationis ipsi irrequisitis factæ, ac non solutionis laudemii, & Canonis, super qua devolutione dato dubio, de ea non constare, decif. hodie fuit. Quia ubi quis ad illam agit per plenas, & conclusentes probationes de suo dominio docere teneatur l. officium 9, & l. fin. ff. de rei vend. Bald. in l. cum res 12, n. 19. de probat. Marefc. var. resol. c. 85, n. 5, lib. 1. & ita semper tenuit Rot. ut apud Mart. Andr. dec. 63. n. 1. Duran. decif. 431. n. 8, & coram Card. Seraphin. decif. 145, Caval. decif. 296. n. 1, Millin. decif. 11, n. 8, & Othobon. decif. 13. n. 1. & in rec. decif. 281, n. 1. p. 4. t. 2, & in Mediolanen. præsentæ devolutionis 1. Jul. 1655, coram R. P. D. meo Melio in princ.

Hujusmodi aurem non est probatio, quæ hic afferrebat pro parte Abbatis, & Canonicorum, siquidem litteræ concessionis Sixti Pontificis anno 1481, emanatæ, quibus primum ipsi tituntur nedum domini probationem non concludunt, immò potius excludunt, cum Papa non utatur verbis illud denotantibus, sed loquatur per verba conditionalia ibi. Illaque eatenus, quatenus in totum, vel in parte ad Monasterium præfatum pertineant. &c. Dictiones enim eatenus, & quatenus important conditionem, ut est textus in l. Strychum qui meus 6. ff. de legat. 1. Bart. in libro 1. num. 20. ff. de cond. & dem. Surd. conf. 186. numero 10. Hònded. conf. 68, numero 11. lib. 2. Gratian. discep. for. cap. 854, numero 40, & 49, Rot. decif. 381, numero 1. parte prima diver. deci. 12, numero 37, par. 6. Et modificat concessionem, incertitudinemque Domini Monasterii super omnibus, vel parte dictorum bonorum adeo ostendunt, ut nisi certificetur illa esse sua, + nullum Jus dicatur interim habere ad notata in l. miles 6. ff. de re jud. l. 3. §. Incerta ff. de acquir. poss. l. si fur. 32. §. ult. ff. de usufructu. Bart. in l. si sic 78. §. si mihi n. 4. & ibi Bald. ante fin. ff. de legat. pr. Dec. conf. 385. num. 2. Bero conf. 140. n. 17, lib. 2. Surd. conf. 186, n. 14, cum seq. Rot. decif. 295, numero 4. part. 1. rec.

Quatenus vero probationem domini deducere intendunt ex instrumentis venditionis prædictorum bonorum à fratribus ordinis Humiliatorum Abbati S. Andreae de anno 1272. & possessionis per eundem successivè adeptæ; necnon ex confirmatione dictæ venditionis in Capitulo Generali venditorum, sequuta Sententia arbitramentali, absque Juribus relatis in Summario Abbatis, & Canonicorum à numero 7. usque ad 13, & ex his neque etiam justificari videbatur, quia ultra quod excepto primo venditionis instrumento, cætera pro majori parte continent simplices ipsorum assertiones, + quæ ad eorum favorem non probant l. non nudis 14, C. de probat. l. ex his verbis 7, C. de testam. Lud. Bell. conf. 87. nu. 7. Rot. decif. 639. num. 3. par. 2. rec. & apud bon. mem. Buratt. decif. 136. n. 2. & 10. Et multo minus dominium + ad effectum inducendæ devolutionis Bart. in l. quidam in suo 27. de condit. Inst. Rot. decif. 606, num. 3. par. 1. & decif. 93. n. 2. par. 3. rec. Placuit responso, quod vel tempore concessionis multò post subsequatæ fuerunt coram Pontifice exhibita, ut præsumitur, attento quod in motu proprio asserit super hujusmodi re fuisse coram ipso rationes hinc inde plenè, & sæpius deductas, & tamen his non obstantibus professus fuit ad consulendum quieti, & commoditati Monasterii; ac publicæ utilitati Villas, & bona Marchioni concessisse, dominio ad favorem dicti Monasterii minimè reservato, ex quo satis declarasse videtur illud ei non compe-

tere. Juraque prædicta elisa remansisse contrariis justificationibus à Marchione deductis, cum alias jam grave præjudicium + Monasterio non intulisset ad tex. cum ibi notatis in C. quamvis 8. de rescript. in 6, Menoch. conf. 36. n. 65. Rot. decif. 119. n. 7, par. 5. rec. Aut verò offensa non fuerunt, & tali casu dicendum est ipsosmet Agentes pro Monasterio illorum irrelevantiam agnovisse, idèd non curasse exhibere. Esto enim, quod proprius constaret de Monasterii dominio, non inde id idem affirmari potest de tempore Investituræ, quia ex dominio de præterito ad hodiernum + inferri non potest in præjudicium tertii, qui medio tempore potuit Jus acquirere c. Abbatte sanè 3. de re jud. in 6, l. in rem actio 24. ff. de rei vendic. l. 1. C. de alienat. Jud. mutan. causa fac. Corn. conf. 24. n. 6. cum seq. lib. 4. Rot. decif. 55. n. 5. penes Pacif. de Salvia. Interd.

Nec visum fuit fundamentum aliquid fieri posse in litteris Alexandri VI. sub dat. Romæ x. kal. Aprilis 1594. super reservatione usufructus, in favorem Cardinalis S. Eustachii, & in rescripto Imperatoris Caroli V. qui cognitione ejusdem causæ Cardinali Caracciolo tunc Mediolani Gubernatori commisit, in quibus enunciatum hæc Villas, & bona ad Abbatem S. Andreae Vercellarum spectare, quandoquidem enunciatio + emanarunt ad Supplicationem patris, atque idèd tametsi antiquæ non probant tanquam proficiscentes ab habentibus Interesse Lofred. conf. 44. numero 6, Rot. apud Cardin. Seraph. decif. 1189, numero 3, coram Sa. me. Gregor. XV. dec. 77. n. 8. Buratt. decif. 178. n. 14.

Non obstat, quod instrumentum concessionis aliis adminiculis suffultum probet dominium + concedentis etiam ad effectum devolutionis juxta doctrinam Bart. in l. ad probationem num. 1, C. locat. Buratt. decif. 602. num. 2. & 15. Quia non admittitur hujusmodi probatio uti insufficientis, quotiescunque, ut hic subesse potest suspicio, vel possibilitatis, quod bona in possessionem devenerint aliunde, + quam mediante Ecclesia dominium præterente, ut conciliando alias decisiones dictum fuit in Ariminen. bonorum 4. Februarii 1611. Coram Marco Motio in rec. decif. 290, n. 6. par. 1. In præsentem verò præter superius deducta, verbis concessionis, appareret summum Pontificem mandasse, quod Villæ controversæ, teneri, & possideri deberent per Marchionem, & suos successores perpetuis futuris temporibus, prout hæcenus possessa fuerunt, nec posse, neque debere super his in posterum molestari, ex quibus indubitatè assequimur dictum Pontificem non intellexisse, immutare dominium, & alterare naturam bonorum, sed voluisse quod illa semper debeant remanere in suo primo esse, prout antea reperiebantur apud Marchiones, & Successores ad tex. in l. si pro fundo 33. ibique Bart. n. 3. C. de transact. Surd. conf. 418, num. 17, cum seq. Card. Caval. decif. 374. n. 8. Cumque fuerit extincta lis, terminatæ differeutiæ omnes inter Monasterium, & Marchionem super dominio Fubortæ mediante dicta concessionem per viam transactionis nefas est eas denudò resuscitare cum expulsiōne Marchionis sub prætextu devolutionis, + quæ ex alio præterenti non potest, quàm ex directo dominio per Instrumentum dictæ concessionis excluso d. l. Officium ff. de rei vend. Alex. conf. 10, lib. 4. Rot. dec. 36, dec. 288, ubique p. 7. rec. alique in princ. congesi.

Præterea existimantur Domini concessionem, de qua agitur, non esse emphyteoticam, sed censualem